PARATITLA
IN LIBROS IX.
CODICIS IUSTINIANI
Repetitæ Prælectionis.

OPUS IACOBI CUIACII.

CAROLI ANNIBALIS FABROTI
Ad ea Enarrationes.

NOVISSIMA EDITIO
Ad Exemplarium Toloſanorum formam
exacta,

Sed a mendis, quibus illa nuſquam non ſcatebant,
quod ad ejus fieri potuit, expurgata:

Cui & locorum quamplurium Græcorum
interpretationes ab aliena manu
acceſſerunt.

In Tomos quatuor diviſa.

TOMUS I.

NEAPOLI MDCCLI.
APUD IOANNEM SIMONIUM.
AERE ANTONII CERVONIS.
Superiorum permiſſu.

CAROLVS ANNIBAL
FABROTVS
LECTORI S.

Paratitla Cujacii in novem libros Codicis exquiſita quæque ingenia velut opus abſolutiſſimum laudant, & prædicant: hæc enim ſcripſit jam ſenex, & cum jure meritoque principem locum inter juris interpretes ſibi vindicare poterat, unde ſtilus ejus conciſus, & brevis, qualis eſſe ſolet ætate jam affecta, & eruditio latens negotium ita pleriſque facit, ut ſi quando mentem ejus perceperint, magnum ſe feciſſe arbitrentur. Sed & ipſe non indoctis ſe ſe ſcribere dictitabat, ut olim Gaudentius Philoſophus: ἀείδω ξυνετοῖσι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Indoctis non canto, procul, procul eſte profani. (a)

Ea re cum ceteris Cujacium antiſtare non ipſe modo cognoverim, ſed & omnes, qui

a 2 in

(a) *In introductione harmonica.*

PARATITLA
IN LIBROS IX.
CODICIS IVSTINIANI
Repetitæ Prælectionis.
OPVS
IACOBI CVIACII.

CODICIS nomine proprie ſignificantur chartæ, quibus quod inaratur, facile deleri poteſt, ut reponatur aliud, non chartæ ſimplices, quæ a papyro nomen retinent, *licet non* ex papyro fiant, ſed ex panniculis, quibus ſemel tantum fungi poſſumus. Qua de cauſſa commodatum quidem conſiſtit in codicibus & pugillaribus l. in commodato §. ſicut commod. quæ negantur eſſe in ſupellectili, l.6. D. ſupell. leg. *ſed non in eo chartæ* genere, cujus abuſus eſt, non uſus. Et parſimoniæ ſpecies eſt in codice ſcribere: nam &